



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Laymann, Paul

Dilingæ, 1666

Titvlvs X. De Svpplena Negligentia Prælatorvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

TITVLVS X.

DE SVPPLENDÀ NEGLIGEN- TIA PRÆLATORVM.



VM de Prælatiſ Eccleſiaſticis, eorũque poteſtate & officio agendum ſit, hoc tit. reſoluitur, ſi in aliquo caſu Prælatuſ officiuſ ſuũ præſtare intermittat, quiſ talem negligentiam ſeu defectũ ſupplere debeat, vt eccleſiæ, quàm fieri poteſt, maturè prouiuſum ſit.

CAPITVLVM I.

Statuimus.

PARAPHRASIS.

Alexander III. ſcribens ad Ordinem Ciſtertienſium, ait: Si Epiſcopuſ tertio cum humilitate, ac deuotione requiſituſ, ipſorum Abbateſ benedicere renuat, quòd ipſi nihilominuſ & Monachos ſuos benedicere, & alia quæ ad officiuſ ſuũ ſpectant, exercere poſſint, interim dum Epiſcopuſ, depoſitâ duritiâ ſuâ, benedictionem petitam conferat.

SVMMARIVM.

1. Si Dioceſanuſ debitè requiſituſ benedicere noliſ Ciſtertienſem Abbatem (vel aliuſ quemcunq; benedici ab Epiſcopo ſolituſ) poteſt nihilominuſ iſ benedicere ſuos Monachos & ſuũ officiuſ exercere.
2. Benedictioniſ Abbatiſ canonicè electi & confirmati effectuſ eſt, vt per eam accipiat poteſtatem Ordiniſ, vti Epiſcopuſ per Conſecrationem.
3. Sunt tamen magna discrimina inter conſecrationem Epiſcopi, & benedictionem Abbatiſ, aliteriſue Prælati; qua hic enarrantur.
4. Benedictio Abbatiſ fieri poteſt non ſolum Dominico, ſed quolibet feſto die, imò ſine graui delicto etiã die non feſto.
5. Iterari ea non debet, ſi Abbas vel Abbatiffa ad aliam Prælaturam transferatur.
6. Actuſ Ordiniſ Epiſcopaliſ latiori modo proprij ſimplicibuſ ſacerdotibuſ in dignitate conſtitutiſ à Sede Apoſtolica committi ſolent per priuilegiũ.
7. Acquiri autem per ſolam conſuetudinem, qua conſtante, & immemorabili fama priuilegiũ Apoſtolici ſubnexa non ſit, non poteſt i. vt ſacerdoteſ non Epiſcopi Ordiniſ, etiã minoreſ tantum conferant.
8. Neq; vt ij eaſ benedictioneſ ſeu conſecrationeſ, qua cum ſacra Chriſmatica unctione per aguntur, exercere poſſint, aut reconciliare altaria & virgineſ conſecrare.
9. Poſſunt tamen Sacerdoteſ non Epiſcopi in dignitate conſtituti, aut Prælaturam habenteſ benedictioneſ paramentorum & probabiliter etiã corporalium per immemorabilem conſuetudinem cum bona fide præſcribere.
10. Quin Prælati omneſ, qui Pontificalia exercent, per diuturnam & approbatam conſuetudinem corporalia benedicunt; Prælati autem mendicantium ex Apoſtolicis priuilegijs corporalia & alia paramenta, in quibuſ unctio Chriſmatica non intercedit, & quidem non tantum pro ſua eccleſia, ſed etiã aliunde ipſiſ allata.
11. Officia recenſentur, qua Prælatuſ poſt benedictionem exercere poteſt, vel etiã ante, ſi Epiſcopuſ ter requiſituſ eam conferre noliſ.
12. Benedictio populi publica non ſolemnit à ſoluſ Sacerdotibuſ fieri poteſt; ſolemnit Epiſcoporum propria eſt, & Abbatiſ, ac ſi

- ac similibus Prælaris non omnibus, sed quibusdam speciali privilegio concessa.
13. In sine officio Prælaris, saltem ijs, qui benedicti solent, aut episcopalia insignia gerunt, concessum est Professos & Novitios suos solemniter benedicere: præsentem tamen Episcopo nec sacerdos, nec Abbas debet benedicere, nisi ipso licentiam dante.
14. Hodierno iure Trident. Abbates ac Prælati Regulares, si sacerdotes sint, & benedicti, vel à Sede Apostolica privilegiati, ut possint Pontificalia exercere, perinde ac si benedicti sint, possunt regularibus subditis suis (non alijs) primam tonsuram & quatuor Ordines Minores conferre.
15. Abbates exempti proprium districtum habentes, in quo quasi Episcopalem iurisdictionem exercent in subditos seu seculares, non prohibentur ijs conferre Ordines Minores.
16. Potestas Ordines Minores conferendi restringenda videtur ad Prælatos habentes ius mitræ & baculi.
17. Abbas benedictus & Pontificalia exercens, potest saltem cum Episcopi consensu, tonsuram & Minores Ordines conferre alijs personis tum Regularibus tum secularibus, ita tamen, ut non sufficiat consensus generalis, sed necessaria sit licentia pro ordinationibus singulorum.
18. Si Prælato Regulari & successoribus eius ante annos v. g. centum concessum sit privilegium consecrandi vasa sacra cum unctioe Chrismatæ, & præcedentes Prælati eo vti non sint, potest eorum Prælati modernus qui ius habet mitræ & baculi, neque ei constat de revocatione eius privilegij.

Pro intellectu huius c. adverte, quod tempore Alexandri III. Ordo Cisterciensium non habuerit tanta exemptionis privilegia, quanta postea à Sede Apostolica accepit, & nunc obtinet, ut eius Ordinis Abbates exempti ab Episcopis, eorum be-

nedictionem requirere non debeant, sed à sui Ordinis Abbatibus benedici possint, vel sine benedictione Pontificalia exercere possint. Qua de re Rodr. tom. 2. regul. qq. q. 26. a. 3.

QVÆRITVR primò: Vtrum hæc Alexandri responsio solum referenda sit ad Abbates Ordinis Cisterciensis, an verò generalis esse debeat, ut locum etiam habeat in aliorum Ordinum Abbatibus, qui ab Episcopis benedicti solent, quod ijs recusantibus, nihilominus officium suum exercere queant? Respondent DD. communiter cum Gl. cum contingat, 11. §. Abbati, de ætate & qualit. Esse generale rescriptum: quia Pontifex in suo responso non significat, se speciale privilegium Cisterciensibus conferre: sed spectata tum rei æquitate, tum necessitate, ne officium Abbatis diu intermitteretur, generale ius statuisse, argum. c. nihil 44. de elect.

QVÆRITVR secundò: Si Episcopus rationabilem causam prætendat, cur Abbati benedictionem conferre nolit, utrum nihilominus officium exercere possit. Responsio est negatiua, cum Innoc. hic & Ioann. Andr. in 6. Nam in hoc Alexandri responso supponitur, Episcopum ex duritia & mentis quadam obstinacia benedictionem denegare: quando ter humiliter admonitus eam dare renuit: Contumax autem non censetur, qui causam rationabilem habet, cur non obtemperet, argum. l. contumacia, 53. ff. de re iud. Porro, ut contumacia seu obstinacia in non parendo appareat, ordinariè requiritur in dicitio trina; quamvis vna etiam pro trina interdum sufficere possit, cit. l. contumacia. Qua simili ratione arbitratur Antonius hic, si Episcopus nulla probabili ratione allata, statim in prima postulatione obstinatum se ostendat in benedictione deneganda, non opus fore repetita petitione, sed sufficere eam vnicam. Simili ratione dicitur in c. Venerabilibus, 7. §. Porro, ver. Secus de sent. excomm. Si reus in iudicio apertè dixit se non pariturum, iterum citandum non esse, cum eius contumacia manifesta sit. Qua de re Abb. in c. vlt. n. 8. de dolo & contum.

QVÆ-

QVÆRITVR tertio: Quid benedictio consecrat Abbati, qui canonicè electus, & confirmatus est? Resp. Talis benedictio Abbatū à sacris canonibus instituta est, secundū proportionem & similitudinem quādam consecrationis episcopalis: Quare sicuti Episcopus post confirmationē exercere potest ea, quæ ad iurisdictionē spectant, non itē ea, quæ ordinis potestatem, c. transmissā, 15. de elect. Ita etiā Abbati electo per confirmationē cōfertur potestas iurisdictionis, non itē potestas ordinis: eā enim accipit per benedictionē, sicuti Episcopus per consecrationem, ut docet Abb. in c. quanto, n. 3. de offic. Ordinarij, Syl. ver. Abbas n. 4. Quibusdam tamen locis Episcopi nō aliter confirmant Abbates, quā quod sollemnem ipsis benedictionem impendant, quo casu benedictio loco confirmationis est. Et hoc casu intelligi debet Innoc. hic, cum ait, quod Abbas ante acceptam benedictionem administrare non debeat.

Sunt tamen magna discrimina inter consecrationem Episcopi, & benedictionem Abbatis, alteriusve Prælati. Primum: Quia consecratio Episcopi est Sacramentum, imprimēs characterem: sed benedictio Abbatis est deprecatoria manuum impositio ab Ecclesia instituta, c. quoniam, d. 69. Quamobrem consecratio Episcopi non nisi ab Episcopis fieri potest; sed benedictio Abbatis etiā à non Episcopis, videlicet Abbatibus, dummodò sacerdotes sint, conferri potest. Alterum. Episcopus post confirmationem ante acceptam consecrationem non debet se appellare Episcopum; sed Abbati post confirmationem, etiamsi benedictus non sit, nomen Abbatis absolute competere potest, sicuti Abb. notavit cit. n. 3. Tuschus Cardinal. ver. Abbas, concl. 8. n. 3. Felinus in c. eam te, 7. n. 7. de rescript. Tertium. Consecratio Episcopo simpliciter necessaria & quodammodo substantialis est, ut actus Episcopali ordini proprios exercere possit, cuiusmodi sunt confirmare, & ordines maiores conferre: Sed neque alios actus ordinis Episcopalis, qui non ita proprii sunt, quod minus simplicibus sacerdotibus à Sede Apostolica frequenter committi soleant, vi-

del. maiores ordines conferre, vasa sacra aut campanas cum chrismatis vnctione benedicere, populum solemniter benedicere; neque talia, inquam, Episcopus confirmatus, tamen si sacerdos sit, ante consecrationē exercere potest, At verò benedictio Abbatis, respectu exercitij ordinis, nō censetur substantialis, sed potius accidentalis solemnitas: Ita ut quibusdam locis, videl. in Hispania, consuetudo non sit Abbatum benedictio, atque sine ea actus ordinis suæ dignitati concessos exercere queant. Ita ex communi Rodr. tom. 1. regul. qq. q. 18. a. 2. Cardinal. Tusch. l. c. & ita aperte etiam colligitur ex c. alienationes, 37. causa 12. q. 2. Atque simili ratione in casu huius c. si Episcopus tertio requisitus, benedictionem tribuere recuset.

QVÆRITVR quarto: Quo die benedictio Abbatis fieri debeat. Abbas in c. cum sis, de consecrat. Eccles. vel altaris, arbitratutius esse, ut Abbas die dominico benedicatur, sicuti & Episcopus eo die consecrari debet. c. quod die, 75. Sed Gl. in Clement. Attendentes, de statu Monachorum, ver. benedici, Syl. ver. benedictio, n. 4. Tuschus ver. Abb. concl. 8. n. 10. Augustinus Barbosa de offic. Episc. p. 2. alleg. 27. n. 51. & alij communiter aiunt, non solum dominico, sed quolibet etiam die festo Abbatem benedici posse; sicuti & ordines minores eisdem diebus conferri possunt, c. de eo, de tempor. ordinat. Imò arbitror graue delictum non fore, si etiam die non festo Abbas benedicatur: cum de hac re nihil in iure expressum reperiat. Idque fatetur Gl. in cit. Clement. de benedictione Abbatissæ, eam quolibet die fieri posse.

QVÆRITVR quinto: Vtrum Abbas, qui semel benedictus fuit, iterum benedici debeat, si ad alterius monasterij prælaturam transferatur Respondent DD. communiter apud Azor tom. 1. lib. 12. c. 20. q. 4. & lib. 13. c. 10. q. 4. Barbosam de offic. Episc. p. 2. allegat. 22. n. 51. Iterum benedicendum non esse, sicuti neque cōiuges benedici solent, si semel benedictionem nuptialem acceperunt, c. 1. & 3. de sec. nuptijs, Accesit, quod

quod benedictio Abbatis fiat ad similitudinem consecrationis Episcopalis, quæ iterari non potest. Abbatissæ autem benedictionem, ubi ea in consuetudine est, multi aiunt iterandam esse, si ad aliam prælaturam transferatur. Sed Azor cit. q. 4. rectè dicere videtur, non apparere causam, cur benedictio iterari debeat.

6 **Q**UÆRITVR sextò: Quinam actus Ordinis Episcopalis simplicibus Sacerdotibus in dignitate constitutis, videl. Romanæ Sedis Cardinalibus, Abbatibus, aut Præpositis, à Sede Apostolica committi soleant: A Sede Apostolica, inquam: Nullus enim alius Episcopus ea, quæ ordinis sunt, alteri committere potest, sed tantùm ea, quæ iurisdictionis, c. aqua, de consecr. Eccles. vel altaris, & declarat Iac. Sbrozius lib. 2. de offic. Vicarij, q. 7. & seqq. Respondeo: Inter actus ordinis Episcopalis alij sunt proprij strictè, ut alij Sacerdotibus committi vel non possint, vel non soleant, nisi ex graui & speciali causa: videl. ordines sacros conferre, & baptizatos confirmare. Qua de re dixi lib. 5. tr. 3. c. 6. & tr. 9. c. 9. Alij verò sunt actus ordinis Episcopalis proprij latiore modo, quia à Sede Apostolica (non item ab inferioribus Episcopis, iuxta c. aqua, de consecr. Eccles. vel altaris) committi solent Sacerdotibus non omnibus vel communiter, sed plerumque ratione alicuius dignitatis, vel in modum priuilegij specialis: videl. vestes, etiam corporalia, pro vsu sacrificij benedicere, vasa sacra, & similia, ad quæ chrisma adhiberi debet, consecrare, primam tonsuram, & ordines minores conferre, populum solemniter benedicere.

7 **Q**UÆRITVR septimò: Cùm certum sit, talia, quæ ordinis Episcopalis latiore modo propria sunt, Sacerdotibus non Episcopis per priuilegium Sedis Apostolicæ competere posse, vtrùm etiam per consuetudinem immemoriam acquiri possint.

Respondeo & Dico I. Nulla consuetudine etiam immemoriam, si sola sit, & constante fama priuilegij Apostolici non subnixâ, acquiri potest, ut Sacerdotes non Episcopi, ordines, etiam minores tantùm, conferant: Et

eadem videtur esse ratio primæ tonsuræ. Ita docet ex communi Azor tom. 1. lib. 5. c. 19. Constat enim ex traditione Ecclesiæ, quod Minister ordinarius ordinationis sit solus Episcopus, vti etiam docet Trident. sess. 23. can. 7. Ergo sine Apostolicæ Sedis commissione ac priuilegio, vel saltem constante & immemoriam fama eius, Sacerdotibus non Episcopis potestas ordinandi competere non potest.

Dico II. Neque eas benedictiones, seu consecrationes, quæ cum sacra chrismaris vnctione peraguntur, Sacerdotes non Episcopi per meram consuetudinem, quantumuis immemoriam, comparare possunt. Ita docet Syl. ver. benedictio, n. 3. Aluinus de potestate Episc. & Abb. c. 21. num. 12. Azor tom. 1. lib. 10. c. 28. q. 2. Quia ex Ecclesiæ traditione constat, consecrationes Ecclesiarum, altarium, vasorum, &c. Episcopalis ordinis proprias esse oportere, excepta commissione, vel priuilegio Sedis Apostolicæ: Quibus addi debet ecclesiarum violatarum reconciliatio, & virginum consecratio, vti constat ex c. quamuis, d. 68.

Corollarium. Si Abbas aliquis potestatem horum consecrandorum sibi vendicet, niti debet non mera consuetudine, sed priuilegio Apostolico, aut saltem constante fama eius; cùm fieri potuerit, ut priuilegium aliquando datum amissum fuerit. Tunc autè si ponamus, priuilegium nunquam datum fuisse, quod tamen datum tempore immemoriam cum bona fide putabatur, hoc casu per diuturnam consuetudinem acquiri poterit potestas talium consecrandorum, Pontifice non reclamante, quippe cùm eiusmodi rationabili titulo nixas consuetudines non reprobet, sed magis approbet, c. vlt. de consuetudine.

Dico III. Benedictiones paramentorum, & probabiliter etiam corporalium, Sacerdotes non Episcopi, si in dignitate constituti sint, aut prælaturam ecclesiæ habeant, per immemoriam consuetudinem cum bona fide præscribere possunt. Ita addit Gl. in c. Abbates, 3. de priuileg. in 6. ver. tonsuram, Syl. loc. cit. Aluinus cit. cap. 21. num. 13. Ratio est: Quia talium benedictiones in sa-

cris canonibus non reperiuntur ita appropriata Episcopis, sicuti ea, quæ Chrysmatis vñtionem habent. Nisi quod de corporali significatur in c. consulto, 45. d. 1. de consecrat. illud ab Episcopo consecrandum esse: Quod etiã hodie obseruari solet, vt eius benedictio nõ tam facily à Sede Apostolica Sacerdotibus non Episcopis concedatur, sicuti
 10 aliorũ paramentorum ecclesię. Verumtamen Prælati omnes, qui Pontificalia exercent, per diuturnam & approbatam consuetudinem corporalia, sicuti alia paramenta, benedicunt, vt notauit Sã ver. benedictio, num. 4. & videri potest declaratio Cardinal. super sefs. 23. Trident. cap. 10. Sed & Prælati Mendicantium, licet Pontificalia insignia non gerant, nec benedici soleant, tamen ex Apostolicis priuilegijs corporalia, & alia paramenta, in quibus chrysmatis vñtio non interuenit, benedicere solent, teste Rodriq. tom. 1. regul. qq. q. 19. a. 2. Ioan. de la Croix de priuil. Regul. lib. 2. c. 5. dub. 8.

Addit verò Aluinus ex Gemiano in c. Abbates, 3. de priuileg. in 6. posse Prælatos corporalia, & alia paramenta per consuetudinem immemoriam benedicere non tantum pro sua ecclesia, sed etiam aliunde ipsis allata. Cuiusmodi consuetudinem arbitror, ob quandam necessitatem, accedente etiam Episcoporum consensu, saltem tacito, in Germaniã prouincijs introductam esse, eò quòd in diocesis amplis, impossibile sit ex omnibus ecclesijs paramenta ad Episcopum afferri, vel eius aduentum expectari, vt benedicantur. Quòd verò attinet ad consecrationem vasorum, & similium, quæ per chrysmatis vñtionem peragitur, Sedes Apostolica concessionem, seu priuilegium, si quod Prælatis non Episcopis conceditur, plerumque limitare solet ad vsum propriarum ecclesiarum, ne alioquin concessio in præiudicium Episcopalis potestatis cedat.

11 **QVÆRITVR** octauò: Quenam sint officia illa, quæ Abbas, vel similis Prælatus post benedictionem exercere potest, imò etiam ante benedictionem, si Episcopus ter requisitus conferre nolit? Respondeo, Esse eos actus ordinis, qui licet spectato communi iure sim-

plicibus Sacerdotibus non competant, tamen quibusdam in dignitate, aut prælaturã constitutis, per consuetudinem aut priuilegium Apostolicum conceduntur. Vt enim huiusmodi actus, Ordini Episcopali proprij, alijs autem Prælatis communicati, maiore cum solemnitate peragerentur, ideo benedictio Abbatum inuenta est, vt sit veluti locò cuiusdam consecrationis, vt appellatur in c. alienationes, 37. causa 12. q. 2. Quæ causa est, cur Abbatibus, & alijs Præpositis, quibus actus eiusmodi Pontificales exercere concessum est, etiam insignia quædam Pontificalia (id est, quæ ab origine seu prima institutione Pontificum, seu Episcoporum propria sunt) à Sede Apostolica concedantur. Porrò sicuti ex verbis priuilegij, vel si id non extet, ex constante fama & traditione priuilegij Apostolici petendum est, quos actus Episcopales Prælati quilibet, seu in dignitate constituti Præpositi exercere possint, ita etiam ex singulorum priuilegio peti debet, quibus Episcopalibus insignibus vti possint. Nam aliqui Prælati mitrati non sunt, tamẽ baculum siue pedum pastorale gerunt: Contra verò aliqui mitram in capite gestant, sed baculum non gerunt, si videl. in dignitate constituti, nullam iurisdictionem exerceant, vt quidam ecclesiarum Cathedralium Præpositi. Id verò generatim dici posse videtur, argum. c. vt Apostolica, 6. de priuil. in 6. quòd cum mitra tanquam præcipuo ornamento Episcopali fermè etiam anulus, chirothecæ, sandalia, caligæ, tunicella, dalmatica, & pectorale coniuncta esse soleant. Horum & aliorum Pontificalium insigniorum mysticam interpretationẽ reperies apud Guil. Durandum in rationali, lib. 3.

Supereft, vt de quibusdam actibus Pontificalibus, à Prælatis non Episcopis exerceri solitis speciatim aliquid dicamus. Primus est, solemnis benedictio populi. Vbi notandum, quòd benedictio super hominem vel est priuata, vel publica. Priuata fieri potest ab omnibus Clericis, imò etiam laicis, & sacris sanctimonialibus, vt dixi lib. 5. tr. 9. c. 13. n. 1. Publica benedictio à solis Sacerdotibus fieri potest. Imò generalis regula est, quam

quam tradidi cit. c. 13. n. 11. quòd Diaconus nullam publicam benedictionem exercere possit. Porrò benedictio populi publica diuiditur apud Mascardum vol. 1. de probat. concl. 169. quòd alia sit solemnis, quæ fieri solet in fine diuinorum officiorum, præmissis versiculo: *Adiuuorium nostrum in nemine Domini. &c. Sit nomen Domini benedictum*: alia benedictio populi non solemnis, sed simplex. Hæc à Sacerdotibus omnibus post missam fieri solet. At verò solemnis populi benedictio Episcoporum propria est, & Abbatibus, ac similibus Prælati non omnibus, sed quibusdam speciali priuilegio Apostolico concessa est, vt in ecclesiis pleno iure, id est, quoad temporalia, & spiritualia, interprete Gl. c. 3. §. Ecclesiis, ver. pleno iure, de priuilegiis sibi subiectis benedictionem populo largiri possint, c. Abbates, de priuilegiis in 6. vbi additur, quòd extra ecclesias suas publicè & per vias populum benedicere Abbates non debeant: quod tamen Episcopis permissum esse, ait Barbosa cit. p. 2. allegat. 27. num. 63.

1) Cæterum existimandum est, omnibus Prælati regularibus, saltem qui benedici solent, aut qui Episcopalia insignia gerunt, concessum esse, vt Professos & nouitios suos solemniter ad finem officiorum diuinorum benedicant, argum. huius c. Si tamen Episcopus officio interfit, non debet Sacerdos vel Abbas benedictionem impendere, nisi ipso annuente, seu licentiam dante, vti notat Gl. c. Ecce, d. 95.

Alter actus Pontificalis, qui Abbatibus competere potest, est collatio primæ tonsuræ, & ordinum minorum. De hoc dico I. Primam tonsuram & Lectoratum omnes Abbates seu Prælati regulares post benedictionem olim conferre potuerunt, si ab Episcopo benedictionem acceperant, c. quoniam, d. 69. c. cum contingat, de ætat. & qualitat.

Dico II. Quòd Abbates communi iure Acoythos, & Exorcistas ordinare potuerint, non reperitur: sed quòd ex consuetudine diuturna id fecerint, colligitur ex Concilio Tridentino, sess. 23. c. 10. & c. 1. de ordinatis ab Episcopo, qui Episcopatum renuntiauit.

Dico III. Hodierno iure, Trid. Sess. Ab-¹⁴ bates ac Præpositi regulares, si Sacerdotes & benedicti sint, vel à Sede Apostolica priuilegiati, vt possint Pontificalia exercere, perinde ac si benedicti sint, primam tonsuram & quatuor ordines minores regularibus subditis suis conferre possunt: alijs autem nequam. Idque ampliatur contra Clement. Vt Apostolicæ, de priuilegiis in 6. tametsi exempti sint ab Episcopo, attamen existentes intra dioccesin eius. At verò si Abbates exempti¹⁵ proprium districtum habent, in quo quasi Episcopalem iurisdictionem exercent in subditos seculares, tum ijs minores ordines conferre non prohibentur.

Dico IV. Facultas illa ordines minores¹⁶ conferendi restringenda esse videtur ad eos Prælatos Regulares, qui ius mitræ & baculi deferendi habent, sicuti indicatur in declaratione Cardinalis super cit. sess. 23. c. 10. & docet Zerola in praxi Episcopali, ver. Abbas. Sà ver. ordo. Aluinus de potest. Episc. & Abbat. c. 21. n. 22.

Id dubitari solet, vtrum Abbas, qui benedictus est, & Pontificalia exercet, saltem cum Episcopi consensu tonsuram & minores ordines conferre possit alijs personis, tum regularibus, tum secularibus? Respondeo: probabiliter affirmari posse, propter declarationem Cardinalium super Sess. 23. c. 10. de reformat. de qua testantur Ioan. Gallemart. ibid. Zerola ver. Abbas, Barbosa p. 2. allegat. 3. n. 13. Aluinus loco suprà cit. Sorbo in compend. priuilegior. ver. ordines sacri: eà tamen declaratione, vt non sufficiat consensus seu licentia generalis, sed necessaria sit pro ordinationibus singulorum.

Corollarium. Hinc intelligi potest, quid respondendam sit ad casum istum. Quidam Prælati regularis, vel secularis, mitrâ alijsq; Pontificalibus insignibus vtens, hoc etiam à Sede Apostolica priuilegium habet, vt vasa sacra consecrare, & campanas cum chrismatibus vnctione benedicere possit pro vsu suæ ecclesiæ tantum; potestne Episcopus illi licentiam dare consecrandi calices, aut benedicendi campanas ecclesiarum, quæ ipsi Episcopo subiectæ sunt. Respondeo, Non potest

ei dare licentiam generalem: cum privilegium Papale ad eiusmodi actus episcopales exercendos Episcopus extendere non possit. Sed pro occurrente aliquo casu, vel necessitate, arbitror licentiam dari posse; quia id non videtur repugnare voluntati Pontificis, postquam Prælati illi à Sede Apostolica ad talia, saltem pro sua ecclesia, benedicenda privilegiati sunt.

Tertius actus Pontificalis ab Abbatibus seu Prælatibus benedictis exerceri solitus, est consecratio vasorum, & benedictio paramentorum altaris. De quibus suprâ satis dictum fuit.

18 Ad extremum quæret aliquis: Si Prælati alicui regulari, & successoribus eius ante annos v. g. centum, aut amplius à Sede Apostolica concessum sit privilegium, ut sacra vasa cum chrisimatis vinctione consecrare possit, præcedentes autem Prælati alicui eo privilegio nunquam vsi fuerint, vtrum iste Prælati, qui alioquin ius mitræ & baculi habet, dictum privilegium, de cuius reuocatione nihil vnquam auditum fuit, exercere possit; an verò per non usum, amissum censei debeat? Respondeo, cum Rodriq. tom. 1. regul. quæst. 18. art. 1. Felino c. cum omnes, num. 15. de Constit. Quòd Prælati per merum non usum privilegij illud perdere non possit, ideòque integrum sit successoribus privilegij usum temporis diuturnitate intermissum reuocare. Vel enim privilegium amissum est per præscriptionem, vel per tacitam reuocationem. Primum dici non potest: Quia in actibus merè voluntarijs, ac nemini onerosis non procedit præscriptio, ut si habeas privilegium legendi libros hæreticos, & eo nunquam utaris, non propterea amittis: quia nemo cogitur privilegio, aut beneficio uti, sicuti dixi lib. 1. tract. 4. c. 23. num. 22. Neque alterum dici potest: quia Prælati non potest renuntiare iuribus ac privilegijs, quæ data sunt dignitati suæ: cum talis renuntiatio sit species alienationis, quæ requirit causam iustam, & Capituli consensum, &c. Si igitur Prælati per expressam renuntiationem tale privilegium per-

dere non potest, multò minùs per tacitam, & præsumptam. Verum tamen est, ex diuturno non vsu privilegij præsumptionem oriri, privilegium datum non esse, vel reuocatum: ut proinde hoc casu necesse sit illud exhibere. Quamobrem etiam Summus Pontifex consuetudinem habet, ea tantùm privilegia v. g. Regularium confirmandi, aut alijs per communicationem conferendi, quæ in vsu sunt.

CAPITVLVM II.

Sicut.

PARAPHRASIS.

Perlatum est ad Clementem III. quòd alicuius diocesis Monachi, & Canonici regulares, reditus quarundam Parochiarum, in quibus ius præsentandi, seu ius patronatus habebant, vsibus Monasteriorum suorum applicarent: neque velint, ut si dictas ecclesias vacare contingat, personæ ad eorum præsentationem instituantur ab Episcopo, sed ipsi, occasione concessionis ipsis factæ à quibusdam antecessoribus Episcopis, arbitratu suo Vicarios instituunt, & destituunt; eosque pensionibus ita onerant, ut paupertate pressi nec Ecclesiæ decenter deferuire, neque Episcopo subsidia debita præstare, neque erga peregrinos hospitalitatem exercere queant. Ad hæc respondet Pontifex; Non esse permittendum, ut antiquus & debitus Ecclesiæ status aliquorum vecordiâ subuertatur; ideòque tales excessus ab Episcopo (si dictæ Ecclesiæ à iurisdictione eius exemptæ non sint) emendandos esse: Insuper si Monachi, aut Canonici regulares intra tempus à Concilio Lateranensi sub Alexandro III. definitum, videlicet intra sex menses à die vacationis numerandos (cap. 2. de concess. præb.) personas idoneas ad ecclesias vacantes Episcopo non præsentauerint, ipsemet iure deuoluto institue-

stituire Rectores poterit; sed pro vna vice tantum, vt deinceps patronis præsentandi ius integrum seruetur.

SUMMARIUM.

1. Patronus etiam Ecclesiasticus, non potest reditus ecclesie, vel beneficii in suos usus conuerrere.
2. Patronus ecclesie curate non potest in ea presbyterum instituere, nec destituere, sed debet Episcopo personam idoneam presentare, à quo instituatur. Rationem tamen administrationis temporalium exigere potest à Rectore, quod ius non habet patronus laicus.
3. Episcopus non potest iura ecclesiarum alteri donare, etiam pio loco, sine Capituli consensu. Nunc iure Trident. prohibitum est Episcopis ecclesiam parochialem Monasterio, Abbatie, dignitati, vel alteri beneficio simplici vnire.
4. Si ecclesia parochialis vnitur Monasterio &c. veluti extinguitur beneficium curatum, ita vt patronus ius presentandi amittat, vnde ad vnionem faciendam patroni consensus requiritur.
5. Vicarius maxime si inuestitus sit, tenetur ad subsidium charitatum & alias exactiones, que aliquando beneficiatis ab Episcopo imponuntur.
6. Vicarius alius est perpetuus, qui ab Episcopo inuestiri debet, alius temporalis, & ad nutum Rectoris principalis amobilis, qui titulum beneficii non habet.
7. Ius presentandi presbyterum in ecclesia parochiali Monasterio acquiritur vel ob merum ius patronatus, vel ob factam incorporationem seu vnionem parochie.
8. Si ecclesiaratione populi non est exempta, sed subiecta Episcopo in spiritualibus: Monasterium, licet ceteroquin exemptum, cui illa ecclesia vnita est, debet primò presentare Vicarium idoneum ab Episcopo examinandum & instituendum.

9. Secundo debet eius ecclesia sacra reecta conseruare, & altaris paramenta reparare, in defectum reddituum, qui profanbrica deputati sunt.
10. Tertio Vicarius, etiam temporalis, & Religiosus Ordinis exempti, subiaceat visitationi Episcopi eius, cui populus subiectus est.

NOTANDVM I. Patronus etiam Ecclesiasticus, non potest reditus Ecclesie, vel beneficii, sub prætextu iuris patronatus, proprijs vsibus applicare, excepto si moderatam aliquam præstationem, cum Episcopi consensu in literis foundationis sibi reseruasset, iuxta c. præterea, 23. de iure patronat.

NOTANDVM II. Patronus Ecclesie curate non potest in ea presbyterum instituere, multò minùs destituere: sed debet Episcopo personam idoneam presentare, à quo instituatur. Quare, tamen si Ecclesiasticus patronus sit, v. g. Abbas, Monasteriũ, vel Capitulum Collegiatum, nihil circa curam plebis, & sacramentorum administrationem Rectori instituto præcipere potest, sed Episcopo denuntiare, si officium malè administraret: Potest tamen rationem administrationis temporalium exigere à Rectore, præsertim si ipsi suspectus sit, c. in Lateranensi, 31. de præbend. Cuiusmodi ius laico patrono non competit, vt Abbas ibi notauit, n. 2.

NOTANDVM III. Episcopus non potest iura ecclesiarum alteri donare, etiam pio loco: Quod intelligi debet, nisi consensus Capituli accedat, vt Gl. hic notat, ver. concessione. At verò cum Capituli consensu poterat olim Episcopus loco pio seu religioso donare iura & reditus ecclesiarum parochialium, cum patroni consensu, c. pastoralis, 7. de donat. Nunc verò per Trident. Concil. sess. 24. c. 13. de reformat. prohibitum est Episcopis, ne parochialem ecclesiam Monasterio, Abbatie, dignitati, Canonicatui, vel alteri beneficio simplici vniant.

NOTANDVM IV. Si parochialis ecclesia vnita sit Monasterio, dignitati, Canonicatui &c. veluti extinguitur beneficium

curatam, ita ut patronus ius presentandi amittat, sicuti ex communi docet Felinus c. cum accessissent, n. 2. de constitut. Barbosa de offic. Episc. p. 3. allegat. 72. n. 189. Garcias de benef. p. 11. c. 2. n. 3. Quamobrem ad unionem faciendam patroni consensus necessarius est, iuxta cit. c. pastoralis, & dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 13. q. 5. corol. 2. Facta enim unione, Rector principalis semper censetur esse is, qui Abbatiam obtinet, canonicatum, aliudque beneficium, qui proinde Vicarium constituere, & Episcopo presentare debet, congrua illi assignata reddituum portione, ita ut decem sustentationem habeat, & hospitalitatem erga peregrinos, ac misericordiam erga pauperes exercere possit, ut hic & in c. de Monachis, 12. de prebend.

5 NOTANDUM V. Vicarius, praesertim si inuestitus seu intitulatus sit, tenetur ad subsidium charitativum, & alias exactiones, quae aliquando beneficiatis ab Episcopo imponuntur. Ita hic & cit. c. de Monachis: Haec enim sunt iura Episcopalia, quae Pontifex ait Vicarijs persolvenda esse. Id vero intelligi debet secundum ratam portionem, quae ipsis ex beneficio provenit. Interdum vero Vicarijs, alijsque pensionarijs portio seu pensio assignatur omnino libera, ita ut totum onus principali Rectori incumbat, tametsi is alioquin exemptus sit. Non enim exemptus est ratione populi, & ecclesiae parochialis Episcopo subiectae; quia unio fieri censetur, salvo iure Episcopali, ut dixi lib. 3. Th. mor. tr. 3. p. 1. c. 3. n. 11. & 12. & lib. 4. tr. 2. c. 17. q. 5. & docent DD. in cit. c. pastoralis, ubi Abb. n. 6. Hoc autem casu necesse non est, ut aliqua certa portio reddituum ex beneficio designetur, sed sufficit ei dare congruentem sustentationem, quando, ut dixi, omnia alia onera, etiam hospitalitatis exercendae, incumbunt principali, v. g. Monasterio, uti habetur in Clem. 1. de iure patron.

6 Aduerte autem, quod dixi, praesertim si inuestitus &c. Est enim duplex Vicarius, perpetuus, & ad nutum Rectoris principalis amobilis. Perpetuus ab Episcopo inuestiri debet: quia vicaria perpetua est benefi-

cium, ideoque in titulum erigitur, ut ex communi testatur Garcias de benef. p. 11. c. 2. n. 15. Sed Vicarius temporalis, seu amobilis titulum beneficij non habet: nisi quod multi dicant apud Ioann. Gallemart. super Trident. sess. 7. c. 7. in remissionibus, ante finitum annum, Vicarium temporalem non posse amoveri, nisi causa exigat. Quod sane aequum est, maxime si Vicarius secularis sit.

NOTANDUM VI. Si patronus intra tempus legitimum non presentet, vel collator ordinarius non provideat, devolvitur ius ad Superiorem tantummodo pro ea vice, adeo ut tametsi collatio vel institutio non consequatur, patronus vel collator recuperet ius suum. Ita docet Azor tom. 2. lib. 6. c. 28. q. 14. In simili dictum est in c. cum Vintoniensis, 25. de elect.

Pro pleno intellectu huius c. advertendum est, quod Monasterium & eius nomine Abbas ius presentandi presbyterum in ecclesia parochiali duplici ex capite habere possit: Vel ob merum ius patronatus, vel ob factam incorporationem seu unionem parochiae. Quod ad primum attinet, ius patronatus monasterio varijs modis acquiri potest; puta quia ecclesiam aedificavit, dotavit, aut eius aedificationi fundum suum assignavit: vel quia ius patronatus Monasterio donatum est, vel cum rerum universitate ad illud transijt, v. g. per emptionem castri, aut dominij. In hoc casu loquitur Clemens III. huius c. auctor, quod Monasterium Episcopo Rectorem idoneum presentare debeat instituendum; praeter id autem neque redditus ex parochia accipere, neque vllum ius in presbyterum sibi usurpare possit. Idemque traditur in c. In Lateranensi, 31. de prebend. in c. vn. de capellis, in 6. & in c. sane causa 16. q. 2. interprete Gl. princ. eiusdem q. 2. & Gratiano super c. vlt.

Quod ad alterum attinet, parochiae incorporatione duobus modis fieri potest Monasterio, Capitulo Cathedrali, Canonicali &c. Vel quoad temporalia tantum, vel quoad temporalia & spiritualia simul, & sic pleno iure. Uniones, seu potius donationes

parochiarum quoad temporalia tantum (videlicet, ut reliqua congrua portione Presbytero, reliqui prouentus, vel pars eorum ad Monasterium pertineat) solum Episcopi facere solebant, iuxta c. pastoralis, 7. ubi id Innoc. notat, n. 1. Abb. n. 8. de donation. & in c. 3. n. 6. de priuileg. Ea nimirum conditione, ut Monasterium, vel Capitulum, cui incorporatio reddituum facta est, nihil omnino iuris seu in personam Presbyteri, seu circa curam populi sibi vendiceret. Neque verò hoc casu necesse est, ut præsentatio presbyteri ad Monasterium pertineat, quando solum redditus temporales donati fuerunt; & non simul etiam ius præsentandi Rectorem.

Vniones seu incorporationes Ecclesiarum parochialium, aliorumque beneficiorum, quæ Monasterio fiunt quoad temporalia, & spiritualia, dicuntur fieri pleno iure, interprete Gl. in cit. c. 3. ver. pleno iure. Verùm & hunc ipsum modum incorporationis distinguere oportet, secundum doctrinam Innoc. & Ioann. Andr. in c. 1. de capellis Monachorum, Abb. in cit. c. 3. n. 1. Aluini de potest. Episc. & Abbat. c. 13. n. 3. §. At meritò: Vel enim Ecclesia Monasterio subiecta est iure plenissimo; ita ut etiam populus ab Episcopo exemptus sit: hoc casu Monasterij Abbas habet iurisdictionem quasi Episcopalem, ita ut sine dependentia ab Episcopo diocesis Presbyteros seu Vicarios instituere, & destituere possit, ut etiam docet Rodriq. tom. 1. regul. q. 36. a. 1. Vel Ecclesia ratione populi non est exempta, sed Episcopo subiecta in spiritualibus: hoc casu nihil ferme refert, utrum Monasterium secundum se exemptum sit ab Episcopo, necne: quia utroque casu, qui frequentissimus est, obseruari debent ea, quæ ex mente Concilij Tridentini proximè subiungam.

Primum: Vicarium idoneum præsentare debet Episcopo, ab ipso examinandum, & instituendum. Sed dubitatur primò: Utrum is perpetuus esse debeat, an temporalis. Respondet, cum Garcia p. 11. de beneficijs, c. 2. n. 4. Barbosa de potest. Episc. p. 3. alleg. 72. n. 189. In primis inspiciendum esse, quid antehac consuetum fuerit, & quid in literis

factæ vnionis, seu incorporationis continetur: quia status Ecclesiæ non facile immutandus est, argum. huius c. ubi id notant Ioann. Andr. & Anton. de Butrio, & Clem. vn. hoc tit. Concessum tamen est Episcopo, si Ecclesiæ expedire videatur, ordinare, ut Ecclesia deinceps per Vicarium perpetuum ordinetur, tametsi antehac semper temporalem habuerit, uti habetur in Bulla Pij V. 46. quæ incipit: *Ad exequendum*, & in Trid. sess. 7. c. 7. de reform. iuncta Cardinal. declaratione. Sed limitari id debet primò; Nisi in literis vnionis à Sede Apostolica factæ post Concil. Trid. expressum sit, quòd Parochia per Vicarium temporalem regi debeat. Excipe secundò: Nisi Ecclesia curata dicto modo vnita sit Monasterio, tum prohiberi non potest, quòd minus Ordinis eiusdem Regularis, ad nutum Prælati amobilis, seu Obedientiarius Episcopo præsentetur examinandus, & instituendus. Ita enim concessum esse à Gregor. XII. ea conditione, ut Religiosus socium Ordinis sui secum habeat, testatur Cardinal. declaratio super cit. sess. 7. c. 7. de Reform. Garcias cit. c. 2. n. 13, Barbosa cit. allegat. 72. n. 190. Aluinus de potest. Episc. c. 14. n. 2. Vide etiam c. vlt. de Capellis Monachorum, & Concil. Trident. sess. 25. c. 11. de reform. cum Cardinalium declarationibus. Dubitatur secundò, Utrum Vicarius regularis esse debeat, an secularis? Respondeo: Si Rector principalis sit regularis, v. g. Præpositus aut Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, non potest institui Vicarius regularis, iuxta ea quæ dixi int. de elect. Dico II. Si parochia Monasterio vnita sit, Abbas regularem Vicarium ad nutum amobilem constituere potest: excepto, si in literis vnionis expressum sit, ut per Vicarium secularem parochia administraretur, vel nisi à longissimo tempore per Vicarium secularem administrata sit, præsertim si intitulatus fuerit.

Secundum. Monasterium, cui ecclesia vnita est, eius facta testa conseruare, & altaris paramenta reparare debet. Quod intelligi debet in defectum reddituum, qui pro fabrica deputati esse solent. Ita colligitur ex c. 1. c. de his, de Ecclesijs ædific. Ratio est: quia cum

Monas-

Monasterium ex ecclesia comoda percipiat, vid. annuos proventus, etiam onera sustinere debet, iuxta l. vn. C. de caducis tollendis, §. pro secundo, in fine. ibi: *Neque enim ferendus est is, qui lucrum quidem amplectitur, onus autem ei annexum contempnit.* Quare Aluinus cit. c. 14. n. 3. inter alia signa Ecclesiarum parochialium pleno iure, id est, etiam quoad spiritualia ad Monasterium spectantium hoc etiam numerat, *si Abbates illis suppeditare tenentur calicem missale, & alia eiusmodi, quibus obligantur ad conseruationem fabrica totius, vel partis Ecclesie, & ad eandem refarciendam, si quando indiget.*

10 Tertium. Vicarius, non tantum perpetuus, sed etiam si temporalis taneum sit, subiacet visitationi Episcopi, seu Ordinarij eius, cui populus subiectus est: non obstante, quod Vicarius, v. g. Religiosus Ordinis aut Monasterij exempti, secundum propria personam exemptus sit: nihilominus subiacet visitationi, & iurisdictioni Episcopi, quoad curam populi, & administrationem sacramentorum. Ita Trident. sess. 25. c. 11. de Regular. cum declarat. Cardinalium. Verum, vt in postrema declaratione habetur, ijdem Vicarij Monasteriorum, tum non tantum Regulares, sed etiam seculares, si ad nutum amobiles sint, visitari etiam possunt a Prælato Monasterij: quia etiam ipsi in spiritualibus immediatè subijciuntur, tanquam immediato Reçtori suo, à quo & auocari possunt. Præterea excipitur in dicto c. 11. Monasterium Cluniacense, & omnia ea, in quibus Abbates, Generales, seu capita Ordinum sedem ordinariam principalem habent; nam parochiæ eorum ibidem sitæ ab Episcopo visitari non debent.

Exinde colligitur; longè plus iuris in parochiâ habere Abbatem Monasterij v. g. si deputatus sit Vicarius temporalis, quam si perpetuus. Iste enim nullum ius, seu titulum habet; & omne ius parochiæ est penes principalem. At verò Vicarius perpetuus, ac titulum in parochia obtinet: cum autem ius siue titulus beneficij indiuisibilis sit, secundum doctrinam Hostiensis in sum. de filijs presbyterorum, §. Qui filij presbyte-

rorum, ex c. Michael 12. eod. tit. & c. 4. causæ 21. q. 1. in quo habetur, quod vnus Monasterij non possint esse duo Abbates, sed nec duo Episcopi in eadem Ecclesia, teste S. August. ideo dicendum est, eandem curam parochiæ ad vtrumq; pertinere diuersimodè; ad Vicarium quidem in actu, ad principalem in habitu, prout distinguunt DD. in c. super eo, 6. ver. annexæ, de præbend. in 6. & docui lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 5. q. 9. Quamobrem Vicarius ab Episcopo institutus & intitularus à principali parum dependere videtur in spiritualibus, cum cura parochiæ ipsi attributa sit.

His, quæ supra dicta sunt, obstare videtur c. 1. de capellis Monachorum: *In Ecclesijs, ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur sed Capellanus, qui populum regat, ab Episcopo, per Concilium Monachorum instituatur.* Resp. Non satis liquet, quidnam eo c. constitutum sit ab Urbano II. quamobrem variæ eius explicationes afferuntur, vt videre licet apud Abbat. ibi, & Aluinum de potest. Episc. c. 13. n. 3. Arbitror, Vrbanum III. loqui de Ecclesijs parochialibus, quæ prope Monasterium ædificatæ sunt; earum enim curam Monachi sibi deposcebant, eo solo titulo, quod in fundo ipsorum ædificatæ, aut ab ipsis dotatæ fuerint. Id verò reiectum fuit in cit. c. 1. sicuti & in hoc c. & c. In Lateranensi, 31. de præbend. Qui enim Ecclesiam pro cura populi, Episcopo subiecti, fundat, ædificat, aut dotat, ius patronatus quidem acquirit; sed curam, aut redditus Ecclesiæ nequaquam, nisi id ab Episcopo vltro concessum sit. Quæ concessio frequenter olim facta erat, vt Ecclesia in loco Monasterij ædificaretur, & dotaretur eo pacto, vt Monachorum curæ subiecta esset, atque ita Ecclesia ab origine sua regularis per regularem Vicarium regeretur: cuiusmodi ius Monasterijs nequaquam auferri potest ab Episcopis. Interdum verò Ecclesiæ parochiales, quæ per seculares Rectores administrabantur, postea incorporatæ sunt Monasterijs pleno iure, id est, etiam quoad spiritualia. Quo casu supra dixi, inspicendas esse literas vnionis, & quidnam eo vsque

ed vsque obseruatum fuerit: quia status Ec-
clesiæ non facile mutari debet.

CAPITVLVM III.

Licet.

Honorius ex vna parte, & Remigius per
procuratorem suum ex altera parte, diu
apud Sedem Apostolicam litigauerant de
Archidiaconatu Richemundiae: Quare vt
ea res expediatur, mandat Innocent. III. si
constet, quod Archidiaconatus ille annum
integrum vacauerit, semestri quidem, cum
collatio ad Capitulum pertinebat; altero
autem semestri, cum collatio per deuolu-
tionem ad Archiepiscopum Eboracensem
spectabat, (numerato tempore non à die
vacationis, sed habitæ notitiæ vacationis)
vt vtrique litigantium silentium impona-
tur. Cum enim dictus Archiepiscopus Su-
periores non habeat præter Pontificem, ad
eum secundum canones Archidiaconatus il-
lius collatio deuoluta fuit.

NOTANDVM I. Si Capitulum, ad quod
collatio beneficij, aut dignitatis pertinet,
intra sex menses conferre negligat, ius con-
ferendi pro ea vice deuoluitur ad Archiepi-
scopum, si ei Capitulum immediatè subie-
ctum sit. Quod si & ipse per alterum se-
mestre conferre negligat, deuolutio fit ad
Papam. De hac re dictum est in c. Ne pro de-
fectu, 41. de elect.

NOTANDVM II. Si pœna ob negli-
gentiam decreta sit sententiæ latæ ipso iure,
ordinariè non conceditur licentia moram
purgandi. Ita Gl. hinc ver. imponatis, Anton.
n. 5. Quia, vt Gl. ait in c. licet canon, 14. ver.
executione, de elect. in 6. canon, qui est lata
sententia, habet in se executionem. Id verò in-
telligi debet hoc modo, quod Iudex perinde
pœnam exequi debeat, ac si ab initio contra-
cta sit, rescindendo omnia, quæ secùs attendi-
ta sunt. Quomodo Pontifex in hoc c. rescidit,
seu potius irritam declarauit collationem
Archidiaconatus, si facta sit post
tempus semestre.

* * *

CAPITVLVM IV.

Literas.

Quidam Prælati & Capitula, beneficia &
dignitates tanto tempore conferre di-
stulerunt, vt secundum Lateran. Concilium
sub Alex. III. iure conferendi pro ea vice
priuati essent: Postea verò quàm intellexis-
sent aduentum Legati Apostolici, beneficia
illa ac dignitates conferre aggressi sunt. In
hoc casu respondet Innoc. III. collationes, se-
cundum canones irritas quidem censi posse,
& malè institutos remoueri, tamen ex mi-
sericordia, si alioquin idoneæ personæ sint,
à Legato in possessione pacifica tolerandos
esse: Sin autem non idonei, ijs remotis, alias
personas idoneas, auctoritate Apostolica, ad
quam propter negligentiam inferiorum col-
latorum, deuolutio facta est, à Legato insti-
tuendas esse.

NOTANDVM I. Si priuati iure conse-
rendi, aut eligendi pro vna vice nihilomi-
nùs aliquem eligant, aut instituant, licet ele-
ctio, collatio, aut institutio irrita declarari
possit, interim tamen, dum nemo se opponit,
electus, aut institutus tutus est in consci-
entia. Ita docui in c. innotuit, 20. de elect. & su-
mitur ex hoc c. Quia nisi collatio beneficio-
rum, facta post incursum priuationem, ali-
quo modo valida fuisset, instituti beneficia
retinere non potuissent, absque tituli reuoli-
datione.

NOTANDVM II. Si priuati propter eli-
gendi aut conferendi negligentiam, elapso
trimestri aut semestri tempore, nemine se
opponente, nihilominus eligant aut benefi-
cia conferant, tolerari id potest: quia multa
per patientiam tolerantur, quæ si deducta es-
sent in iudicium, exigente iustitia non tole-
rantur, c. iam dudum, 18. de præbend.
Dummodò absque Ecclesiæ, seu boni publici
detrimento tolerari possit: alioquin enim
Superior ex officio, etiam nemine petente,
procedere potest.

NOTANDVM III. Si aliquis in pacifica
beneficij possessione sit, non tam facile ipsi

Q99

aufere

aufertur, sicuti si nōdum possessionem nactus esset. Quamobrem impetrare volens beneficium mentionem facere debet secundum sty- lum Curie Romanæ, quod alius in possessione colorata existat, c. cū nostris 6. de concess. præb. Quia Pontifex non solet alteri conferre beneficium, nisi prius facta sit discussio de iure possessoris.

CAPITVLVM VLT.

Dilecto.

PARAPHRASIS.

In Ecclesia Salamantina electio Cantoris, quæ communiter ad eiusdem ecclesiæ Episcopum & Capitulum spectabat, semestre spatium à die notæ vacationis facta non fuit: postea tamen Decanus & quidam alij Canonici Petrum elegerunt, ad Sedem Apostolicam appellantes, ne contra eam quidquam attentaretur. Sed Archiepiscopus Compostelanus intelligens, electionem ad se tanquam proximum illorum Superiorem deuolutam esse, non obstante appellatione illa, Gregorium ad Cantoriam illam elegit. Eo facto vterque electus, videl. Petrus & Gregorius Procuratores miserunt ad Sedem Apostolicam. Causâ commissâ Pancratio S. Marcelli Cardinali Presbytero, iudicatum fuit, electionem Decani & sociorum eius irritam declarandam esse. At verò Archiepiscopi electionem de Gregorio, dummodò canonicum ipsi non obstet impedimentum, confirmandam esse.

SUMMARIVM.

1. Si ad Episcopum vel Capitulum pertinet collatio beneficij, propter negligentiam v. g. Episcopi, fit deuolutio ad Capitulum, & vice versa.

NOTANDVM I. Collatio Canonicatum, & personatum in ecclesia interdum pertinet ad Episcopum & Capitulum

simul, vt hic, & c. vn. Ne sede vacante, in 6. Interdum verò ad solum Episcopum, quamuis cum consilio Capituli spectato communi iurescit. c. vn. §. Cū verò, & c. 2. de concess. præb. & dixi c. cū ecclesia, 1. de elect. Denique interdum ad solum Capitulum spectat collatio: Et his posterioribus duobus casibus deuolutio propter negligentiam, fit ab Episcopo ad Capitulum, & vice versa, cit. c. 2. In primo autem casu deuolutio fit ad Archiepiscopum, vt in hoc c. apparet; Ab Archiepiscopo denique ad Papam, vt in c. præced. Quare Capitulum instante termino temporis semestris monere potest Episcopum, eoque negligente, solum Capitulum sine Episcopo procedere: & vice versa, Episcopus absque Capitulo.

NOTANDVM II. Si fiat appellatio extraiudicialis, ne contra electionem factam quippiam attentetur, aut in electione vltorius non procedatur, non obstante tali appellatione, procedi poterit. Sed quæ post appellationem interpositam facta fuerint, veluti in suspenso erunt; quia si pro appellatione à Superiore iudicatum fuerit, rescinduntur acta; sin verò contra appellationem, tum firma consistent, si aliud nihil obstat. Ita etiam habetur in c. considerauimus, 10. & c. cū inter, 21. de elect.

CAPITVLVM I. eod. Tit. in 6.

Romana.

PARAPHRASIS.

Cū Archiepiscopus Remensis prouinciam visitare, suffraganeos quosdam Episcopos ob culpas suas excommunicauit: Et postea edictum per prouinciam publicari curauit, vt dum Episcopi in excommunicatione essent, subditi eorum diocesani liberè ad prouinciam Rhemensis pro terminandis suis controuersis accederent. Hanc rem cū intellexisset Innocentius IV. Pontifex, reuocauit edictum: eò quòd casus iste excommunicationis

Episco-

Episcoporum non reperiatur inter eos, quibus secundum iura canonica Archiepiscopo in subditos Episcoporum suffraganeorum iurisdictione competit. Si tamen culpæ Episcoporum mereantur, aliter ab Archiepiscopo puniri possunt.

SUMMARIUM.

1. Archiepiscopus habet iurisdictionem in suos suffraganeos; nullam autem in eorum subditos, nisi in casibus iure expressis.
2. Unde iurisdictione Episcopi suffraganei excommunicati non deuoluitur ad Archiepiscopum.

NOTANDUM Vn. Archiepiscopus iurisdictionem habet in Episcopos suffraganeos, ut ijs præcipere possit, quæ ad officium ipsorum spectant, atque ad executionem compellere, etiam per censuras, teste Gl. c. de ijs, 13. d. 12. ver. adstringat. At vero in subditos Suffraganeorum non potest exercere iurisdictionem, nisi in casibus iure expressis: quorum præcipuus est, si ab Episcopi sententia ad Archiepiscopum, seu Metropolitanum appellatum sit, c. conquestus, 8. causa 9. q. 3. & videri potest c. pastoralis, 11. de offic. iud. Ordinarij. Alios casus leges apud Hostiens. de offic. Ordin. §. Sunt autem, Ioan. Monachum in hoc c.

Quare ita argumentatur Pontifex hic, & in cit. c. pastoralis: In materia prohibitoria quod non est concessum, censetur esse prohibitum, c. Inter corporalia, de translat. Episc. Sed hic versamur in materia prohibitoria: quia secundum canones Archiepiscopus non exercet iurisdictionem in subditos Suffraganeorum, cit. c. conquestus, & c. nullus 2. Primas, 7. ead. causa 9. q. 3. Neque vsquam reperitur casus iste iure expressus, si Episcopus excommunicatus sit, quod ob defectum eius, quia iurisdictionem ipsemet exercere non potest, causæ omnes ad Archiepiscopum deuoluantur.

Quare valde dubito de doctrina Quarante in sum. Bullar. ver. Archiepiscopus, n. 2. ¶

quam ait communem esse, contra Abbat. Pannormit. Si Episcopus suffraganeus negligens sit, videl. legitime admonitus non ordinet, non condemnet, quos debet, quod Archiepiscopus eo inuito vices supplere possit, videl. in diocesi eius ordinare, excommunicare, absolueret. Nam talem potestatem Archiepiscopo concessam in iure non reperimus.

QVÆRES: Quid igitur agendum, si subditi ab Episcopo suo excommunicato iurisdictionem petere nolint, aut nõ possint, quia vitandus est? Respondeo, cum Ioan. Monacho hic, n. 11. & Petr. Ancharano, ad Papam recurrendum esse, qui Episcopum ab excommunicatione absoluet, vel alio modo ecclesiæ prouidebit. Interim verò, dum responsum veniat, aut prouisio à Pontifice fiat, Capitulum quæ necessaria sunt, & dilationem non patiuntur, exequi poterit, arg. c. Si Episcopus, 3. hoc tit. Quia id veluti naturale est, ut defectum Capitis, reliquum corpus suppleat, donec maius remedium adhibeatur. Vide quæ dixi lib. 1. tr. 4. c. 7. §. 3.

CAPITVLVM II.

Grandi.

PARAPHRASIS.

Cùm Portugalliæ Rex regnum malè administraret, & ecclesias, atque ecclesiasticas personas, pauperes quoque & orphanos grauari sineret, Innocent. IV. necessitatibus istis succurrere intendens, Coadiutorem Regi designauit fratrem suum Bologniensem Comitem, scribens ad Comites & Barones Regni Portugalliæ; ut eum cum plena administrandi potestate recipiant, eique obediant, iuramento, aut pacto, quo ipsi Regi, aut alteri personæ astricti sunt, vel eiusdem Regis prohibitionem non obstantibus: Alioquin, si dicti Barones & Comites Apostolicum mandatum accipere, & exequi neglexerint, mandat Archiepiscopo Bracharensi & Episcopo Colimbriensi, ut illos præmissa

canonica monitione, per censuram ecclesiasticam, remota appellatione, compellat. Per hoc autem non intendit vel Regi, vel filio eius legitimo (si quem habuerit) regnum adimere, sed potius per sollicitudinem & curam dicti Comitis Boloniensis, Regem ac regnum eius, & subditos à destructione defendere, atque conseruare.

S V M M A R I V M.

1. Si Rex vel Princeps Christianus negligens sit in administratione sui regni, aut iura regni dissipet, debet ei Coadiutor vel Curator assignari à Superiore, si quem habet, vel hoc deficiente, aut negligente, à Papa.
2. Et quidem in hoc casu potest dare curatorem cum plena libera administrandi potestate, qui tamen hoc ipso succedendi ius non habet, licet non raro illud Papa concedat.
3. Non potest Curator vel Administrator facere donationes absolutas, potest tamen ob causam, videl. ob merita, pietatem, &c. & modicas.

NOTANDVM I. Si Rex, aliúsue Princeps Christianus administrationem regni negligat, aut iura regni dissipet, & perdat, debet illi Coadiutor, seu Curator assignari à Superiore, si quem habeat: Alioquin, nisi Regni proceres remedium sufficiens adhibere possint, ad Sum. Pontificem pertinet prouidere, & Coadiutorem dare: vt videl. causæ ecclesiarum, & personarum ecclesiasticarum, pauperum item, atque orphanorum, aliorumque miserabilium (quorum cura specialiter ad Ecclesiam spectat, vt colligitur ex c. 1. & 2. d. 87. c. ex parte, 15. de foro compet.) integræ, atque defensæ maneant; & vt Christiani subditi omnes in ordine ad Christi fidem tenendam, & ex eius præscripto viuendum, non impediuntur. Nam sicuti temporalia spiritualibus ratione finis subiecta sunt; etiam temporalis potestas spirituali subiecta, seu potius subordinata esse debet; ita, vt, si à fine æternæ felicitatis,

ac Dei præceptis deuiet, à spirituali seu ecclesiastica potestate iudicari, ac dirigi possit, iuxta extrauag. Vnam sanctam: quæ est Bonif. VIII. inter communes, de maior. & obed. Atque annotauit Ioan. Monachus hic n. 5.

NOTANDVM II. In tali casu si Rex regnum, & multo magis si Episcopus Episcopatum malè administret, Papa ei Coadiutorem, ac Curatorem dare potest, cum plena & libera administrandi potestate, c. ex parte, 5. de Clerico ægrot. Non tamen hoc ipso, quod Coadiutor datus sit, succedendi ius habet, vt bene hic Gl. magna aduertit. Sed ea est specialis gratia, si Papa alicui Episcopo, vel alteri Prælato Coadiutorem det, cum succedendi facultate: quam tamen Papa non raro dat. Addit Glos. super ver. liberam, ad eò plenam administrationem habere eum, qui Curator, seu Administrator regni datus est, vt etiam donationes facere possit. Quod intelligi debet in primis de remuneratorijs; deinde etiam de alijs moderatis, & regno non præiudicialibus eò quod Regibus speciale proprium sit donare. Alioquin verò Administrator, etiam cum libera datus, absolutas donationes facere prohibetur: nisi id quoque expressè, aut saltem præsumptiue, concessum sit, vt docent DD. in l. contra, 28. §. Si filius, ff. de pactis, & l. Filiusfamilias, 7. ff. de donat. Potest tamen facere donationes ob causam, videlicet ob merita, ob pietatem &c. Quia talem donationem facere non est perdere, quod solum Administratori denegatum censei debet, cit. l. Filiusfam. Denique facere potest donationes modicas, secundum loci consuetudinem, videl. Prælati Monasterij, vel similibus Administrator cum libera datus, iuxta c. 3. de donat.

CAPITVLVM III,

Si Episcopus.

PARAPHRASIS.

Si Episcopus ab infidelibus, vel Schismaticis captus fuerit, non Archiepiscopus, sed

sed Capitulum, perinde ac si Sedes per mortem vacet, in spiritualibus, ac temporalibus administrare debet; donec libertati restituatur, vel per Sedem Apostolicam (quæ in tali casu prospicere, & ideo quàm primum commodè fieri potest, à Capitulo consuli debet) aliud ordinatum fuerit.

SUMMARIUM.

Episcopo à paganis vel Schismaticis capto, Episcopatum administrat non metropolitanus, sed Capitulum.

Rationem huius responsionis assignant hic Gl. Ioannes Monachus, Ancharanus, & alij communiter. Quia per captiuitatem Episcopus Seruus effectus est, argum. l. 5. ff. de captiuis, consequenter iura Episcopalia amisit; quæ tamen postliminio recuperat, si libertati restituatur. Sed hæc doctrina non placet, & repugnare videtur l. vlt. §. His ita, C. de Episc. & Clericis: Neque enim Christianos, nedum Episcopos, cum ab infidelibus aut hæreticis in odium Catholicæ fidei capiuntur, eorum seruos effecti, & iura seu ciuilia, seu Ecclesiastica amittere censendum est: Quin potius dicendum, Episcopum captum ab infidelibus ex captiuitate per Epistolas subditis suis præcipere, & quatenus potest, Ecclesiam suam administrare posse.

Quare arbitror, cum Syl. ver. Archiepiscopus, n. 3. generaliore responsionis Bonifacianæ rationem assignandam esse: Si Episcopus perpetuo, seu durabili & absolute dicto impedimento detentus sit, seu ob captiuitatem ab hostibus, seu ob amentie morbum, ad Capitulum interim pertinere ius administrationis; donec à sede Apostolica aliud ordinetur: quia perinde tunc censeri debet; ac si Sedes vacaret, si Episcopus absolute & omnino impeditus sit. Quia simili ratione ait Stephanus Quaranta in summa Bullarj, ver. Archiepiscopus, n. 22. Si Episcopus in partes remotas abiit, nullo Vicario constituto, quod Capitulum interim administrat.

NOTANDUM Vn. Capitulo plus ita-

ris, saltem in habitu, erga Ecclesiam competit, quàm Archiepiscopo. Tametsi enim Archiepiscopus iurisdictionem in Episcopum exercere possit, non tamen in ecclesiam eius, nisi in casibus specialiter ei commissis, vt c. præced. dictum fuit. At verò Capitulum iurisdictionem exercet in defectum Episcopi: Quod tamen non eo sensu intelligendum est, quasi propter culpam aut negligentiam Episcopi iurisdictionis potestas ad Capitulum deoluatur: id enim falsum est; exceptis casibus iure expressis circa beneficiorum collationes: alioquin verò Capitulum Superioris, videl. Metropolitanus, aut Papæ iurisdictionem implorare debet, per quam Episcopus ad officium compellatur. Sed intelligi debet, si Episcopus nullus adsit, vel ad administrationem omnino inutilis sit, quod interim Capitulum, perinde ac si Sedes vacat, administrare debeat, donec Pontifex aliter prouideat. Aduerte autem quod dixi, *Si omnino impeditus aut inutilis sit*. Sin verò ob senium, vel infirmitatem non omnino, sed ex parte inutilis, tum expectari debet, donec Papa certior factus Coadiutorem ipsi attribuat, vt Archidiaconus & Anchoranus notarunt. in q. vlt. hoc lib.

CAPITVLVM Vlt. Ecclesiæ.

PARAPHRASIS.

Vacante Ecclesia Cathedrali, alius præter Roman. Pontificem non potest illi Visitatorem, seu Administratorem deputare: nisi Capitulum negligenter aut peperam administrat, tunc Archiepiscopus, ob negligentiam aut malitiam Capituli, (eo vocato, atque causæ cognitione præmissa) Administratorem constituere poterit.

SUMMARIUM.

1. Ratio, cur vacante ecclesia Cathedrali solus Papa Visitatorem, seu Administratorem deputare potest, Archiepiscopus id non potest, nisi ob negligentiam

& malitiam Capituli, & cum causa cognitione.

2. *Talis autem Visitor seu Administrator constitutus ab alio, quam à Papa, non potest ea beneficia conferre; quæ ad liberam Episcopi collationem pertinent.*

1 **R**atio est: Quia ad Capitulum, vacante Sede pertinet ius administrationis: quod illi Archiepiscopus auferre non potest, absque causa necessitatis. Sin autem necessitas postulare videatur, tum iura dant Archiepiscopo hanc potestatem, causâ prius iudicialiter cognitâ. At verò Summus Pontifex ob plenitudinem potestatis suæ Administratorem liberè deputare potest, sed non solet, si Capitulum nihil deliquerit.

§. Huiusmodi.

- 2 **A**dministratores, qui Sede Vacante, ab alio, quam Summo Pontifice constitui-

tur, non potest ea beneficia conferre, quæ ad liberam Episcopi collationem spectant: licet alioquin tam in spiritualibus, quam temporalibus legitimam administrationem habeat.

Ratio est: Quia Administrator fructus ac redditus Episcopatus successoribus conferre debet e. vlt. d. 61. Collatio autem libera beneficiorum veluti inter fructus Episcopatus computatur: Ergo &c. Accedit, quòd Administratori, quamvis cum libera constituto, donare non est concessum, vt dixi supra hoc lib. & tit. c. 2. Collatio autem beneficij veluti donatio quædam est, vt etiam appellatur in c. 3. extrâ, hoc tit. Sin autem collatio beneficiorum commuiter ad Capitulum & Episcopum pertinet, tum vacante Sede, vnâ cum Capitulo conferat Administrator, vti Gl. hic notauit.

TITVLVS XI.

DE TEMPORIBVS ORDINATIONVM, ET QUALITATE ORDINATIONVM,



Via Prælatorum, maximè Episcoporum proprium est, primam tonsuram & ordines conferre, ideo de his tractatus hoc loco instituitur.

CAPITVLVM I.

Subdiaconos.

SVMMARIVM.

Diebus Dominicis, vel Sabbato Pentecostes ab alio, quam Papâ, sacri ordines conferri non possunt: possunt tamen diebus Dominicis & festis ordines minores conferri, & virgines consecrari, quibus anno atatis 25. velum consecratio-

nis dare proprium est Episcopi, alijs delegari non potest, nisi à solo Papa, velum autem continentia etiam simplex sacerdos dare potest.

1 **I**n hoc c. tria asserit Alexander III. Papa. Primum: Subdiaconos nemini, præter Romanum Pontificem, die Dominica ordinare concessum est. Quod etiam statutum leges in Concilio Lateranensi sub eodem Alexandro, in appendice tit. de dispositione Clericorum, n. 23. Subdiaconatus enim inter sacros ordines numeratur: sacros ordines verò tantummodò in Quatuor iuniorum Temporibus conferre licitum est, vt ibidè habetur n. seq. Excipitur verò plenitudo potestatis Papalis, quæ ob speciale priuilegium, eiusmodi legibus, quoad propriam personam, non adstringitur.

Alterum.